

1571 ferreis infartis, hostes pauci atque equi sternebantur, cum in singulos dies perraro supra decem deperirent. E propugnatoribus vero modo unus tantum, modo nemo desiderabatur. Summum in equorum cæde hostium studium, quod, iis amissis, aliorum nobis copiam non suppetere intelligerent. Nostri, qui custodias obibant, milites, primi in prælia ruebant; iis sæpius recentes ex urbe cohortes submittebantur; quæ, prius quam hostes succederent, subterranea loca subeuntes, sensim dimicando, simulata fuga, Turcas longius illectos ex insidiis adoriebantur: plerique vulnerabantur, multi sclopporum percussi glandibus procumbebant, exuviis non absque labore, ac sanguine nostri potiebantur; cum vel equi generosi, vel unius e suis interempti cadaveris ornamenta recuperandi studio nullum periculis genus perhorrescerent. Ut vero equorum usus hostibus adimeretur, præacutis ternis, quaternisque clavis confixas tabulas, cuspidibus tantum ex terrâ eminentibus, virgulis, herbisque nostri integebant, quo qui pertransirent, acutissimis vallis induerentur. His in parva quadam planitie, qua minutis sæpe præliis dimicabatur, constitutis, eo pertrahere Turcas nitebantur: sed fervente pugna, nostrorum quidam in astus locum imprudenter delati, equorum jacturam fecere; hostes solido ferro equorum ungulas obarmare soliti, parum detrimenti acceperunt. Frequenter quoque singulari certamine equo dimicatum, multorumque eo in pugnae genere virtus, ac fortitudo inclaruit. Licet vero ea lex certamini præfixa esset, ut equis parceretur, victus victoris captivus fieret, ea tamen neglecta, Turcæ nostrorum equos vulnerare, victique sese fuga ex victoris manibus eripere adnitebantur. In his præliis Epirotæ, atque Epidaurii palmam tulere. Italorum quoque pedum atque equitum nonnulli voluntarii virtutis ac fortitudinis ingens specimen præbuere. Huic militari theatro, in quo de viris fortissimis periculum fiebat, qui interesse nollent, nemo erat; non sexus, non ætas quemquam a spectaculo summovebat; quinimmo ex editis domorum summis contabulationibus, atque ex mœnibus prospectantes sæpe summis vocibus ac plausu nostros egregia edentes facinora, victoriamque de hoste ferentes ad sidera usque extollebant. Dum hæc terra gerebantur, armati lintres e portu egressi, haud pa-

*Tamassenum astus contra Turcas in proprium damnum incidit.*

rum